

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 221

**Auteur(s) :** Hugues de Mélicourt [particulier]

**Auteur(s) :** Roger de Mélicourt [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Chartres, Saint-Père (abbaye)

**Genre d'acte :** pancarte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1001-1100]

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Pancarte rapportant les donations faites par deux frères, Hugues et Roger de Mélicourt, à Planches.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Guérard Benjamin, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Père de Chartres*, Paris, Crapelet (Collection de documents inédits sur l'histoire de France ; 1ère série. Histoire politique), 1840, 2 vol., t. 2, p. 546-547.

b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 393 (extrait).

## Dissertation critique

Datation incertaine.

Texte établi d'après a

Et presentium et qui futuri sunt fidelium noticie memorieque scripto hoc notum, certum et indubitabile fiat, quod duo fratres de Melicurtis, quorum alter Hugo alter Rogerius dicebatur, quandam terram, quam Planchis in quarteriis habebant, nostre, monachorum videlicet sancti Petri Carnoti, ecclesie, in honore beatissime Virginis Marie dedicate, pro sua suorumque ibidem sepultorum parentum salute, dederunt. Ac Guido, ejusdem loci tunc prepositus, et qui cum eo manebat tunc Radulfus, predictorum fratrum erga nostram ecclesiam dilectionem benivolentiamque attendentes, pro eadem terra, gratis, ut dictum est, ecclesie nostre collata, XXX ei solidos, quo eorum beneficium firmiter stabilis fieret, rependerunt. Rogerio quoque de Planchis, a quo jam dicti fratres eandem terram tenerant (in illius namque fevo erat), ob concessionem firmitudinemque ejusdem beneficii, unum palefridum dederunt ; uxoris etiam sue petitioni super hoc satisfecerunt. Hoc autem beneficium ita nobis libere atque absolute prestitum est, ut nemini unquam alicujus pactionis debito serviremus. Hujus rei qui subscripti sunt testes presentes fuerunt : Rogerius de Planchis, Haouis, uxor ejus ; Robertus de Cante Lupo, Radulfus Sosbric ; Willelmus, filius Lamberti ; Garinus, frater ipsius ; Willelmus de Super Rislo, Maugerius. Ex nostra autem parte : Garinus presbiter, Haimo, Adelelmus, Willelmus de Melicurtis, Hugo molendinarius, Robertus corvesarius, Radulfus pellifex.

Alio quoque tempore, Hugo de Melicurtis totam totius terre sue decimam, pertinentis ad opidum cui nomen Molins, jam dicte ecclesie nostre de Planchis gratis donavit, et super altare ejusdem ecclesie, Guidone nostro ibi tunc

preposito missam cantante, omnique qui ad ecclesiam convenerat populo vidente, eandem decimam obtulit ; quod frater ejus Rogerius gratis concessit.

Alio quoque tempore, quomodo terram, et prata loci ejusdem predicti fratres, Hugo scilicet atque Rogerius, nostre ecclesie de Planchis in beneficium contulerunt, et inde donum, quadam die dominica, cunctis qui ad missam venerant parrochianis videntibus, dum missa cantaretur, super altare posuerunt. Quod filii ipsius Rogerii, Echardus scilicet et Odo, gratanter concesserunt ; immo, inde guerpum super altare ponentes, ambo pariter, cum patre et patruo, donum fecerunt ; Rogerio, de cujus fevo res erat, et filiis ejus Willelmo, Roberto atque Gervasio presentibus, et idem beneficium consentiendo sive concedendo simul facientibus. Guido vero prepositus, et hoc beneficium eos nobis gratis prestitisse attendens, et eorum benivolentiam, predictis fratribus XX, Rogerio de Planchis IIII solidis datis, remuneravit, et collati beneficii nobis in posterum stabilitati previdit.